

prelatis, ad quos littere iste pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem. Cum abbates Cisterciensis ordinis tempore generalis concilii congregati, ut occasione privilegiorum suorum ecclesie ulterius minime gravarentur, ad commonitionem felicitis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri⁴⁾ statuerint, ut de cetero fratres ipsius ordinis, nisi pro monasteriis de novo fundandis non emant possessiones, ^(a)de quibus decime debentur ecclesiis, et si pro monasteriis de novo fundandis tales possessiones pia fidelium devotione collate eis fuerint aut empte, committantur aliis excolende, a quibus ecclesiis decime persolvantur^{a)}, dictus predecessor noster statutum huiusmodi gratum habens et ratum decrevit, ut dicti fratres de alienis terris et ab eo tempore acquirendis, etiam si eas propriis manibus aut sumptibus excolant, decimas persolvant ecclesiis, quibus ratione prediorum antea solvebantur, nisi cum ipsis ecclesiis aliter ducerent componendum, quod et ad alios regulares, qui similibus gaudent privilegiis, extendi voluit et mandavit, ^(b)ut ecclesiarum prelati^{b)} promptiores et efficaciores existerent ad exhibendum eis de suis malefactoribus iustitie complementum eorumque privilegia diligentius et perfectius^{c)} observarent.⁵⁾ Sed, quod dolentes referimus, in contrarium res est versa, quia, sicut ex gravi querela dilectorum filiorum . . . abbatis et conventus^{d)} **monasterii de Boic** Cisterciensis ordinis Misnensis diocesis ^(e)frequenter audivimus^{e)}, nonnulli ecclesiarum prelati et alii clerici, eorum privilegia temere contempnentes et contententes malitiose ipsorum pervertere intellectum, eosdem multipliciter inquietant. Nam cum sit ipsis indultum, ut de novalibus, que propriis manibus aut sumptibus excolunt, sive de ortis, virgultis et piscationibus suis vel de suorum animalium nutrimentis nullus ab eis decimas exigere vel extorquere presumat, quidam perverso intellectu conficto dicentes, quod hec non possunt nec debent intelligi, nisi de hiis, que sunt ante generale concilium acquisita, ipsos super hiis multiplici vexatione fatigant. Nos igitur eorum quieti paterna sollicitudine providere volentes universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus dictos ^(f)abbatem et conventum^{f)} **a prestatione decimarum** tam de possessionibus habitis ante concilium memoratum, ante quod susceperunt eiusdem ordinis instituta, quam de **novallibus** sive ante sive post idem concilium acquisitis, que **propriis manibus aut sumptibus excolunt**, de quibus novalibus aliquis hactenus non percepit, nec non de ortis, virgultis, piscationibus suis et de suorum animalium nutrimentis singuli vestrum omnino servetis **i m m u n e s**, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. Lugduni XV kal. ianuarii pontificatus nostri anno secundo.

65.

Papst Innozenz IV. erteilt dem Abt und dem Konvent des Zisterzienserklosters Buch die Vergünstigung, daß für sie nur diejenigen päpstlichen Schreiben verbindlich sind, welche die Zugehörigkeit zum Zisterzienserorden erwähnen.

1244 Dezember 18, Lyon

64. a) de quibus ecclesiis decime persolvantur *Weech*.

b) *Oder*: ut ex hoc ecclesiarum prelati.

c) *Auch*: fortius.

d) *Oder*: fratrum.

e) nobis innotuit *Weech*.

f) *Oder*: fratres.

4) *Papst Innozenz III.*

5) *Vgl. Concilium Lateranense IV, const. 55 (ed. García y García, S. 95 f.; Übersetzung: Dekrete der ökumenischen Konzilien, Bd. 2, S. 260).*